

quirit Superioris auctoritatem. Et nostra conclusio desumitur clare ex cap. Pervenit 3. de Jurejurando, ubi expresse sic habetur: Non enim propositum, aut promissum infringit qui in melius illud commutat, & ex cap. Scriptura 4. de voto, & voti redemptione, ubi: Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur. Religiosis observantiam commutare, ubi ut clare patet, nulla requiritur auctoritas Superioris, nec ulla justa causa, unde sufficit propria Voventis auctoritas, ac arbitrium. Excipiuntur autem quinquae supradicta vota Papae reservata, quae sine auctoritate Pontificis etiam in melius commutari non possunt in Religiosam Professionem, arg. cit. cap. Scriptura 4. de voto, & voti redemptione. Item excipiuntur Vota in favorem tertii emissae & jam acceptata, ut infra patebit.

118 Commutatio voti in opus aequale, seu aequaliter bonum, non potest fieri propria Voventis auctoritate, & arbitrio, sed debet fieri auctoritate Papae, Episcopi, vel alterius Jurisdictionem habentis. Sic communior, & sine dubio probabilior Doctorum sententia cum Sanchez loc. cit. num. 12. Sporer loc. cit. num. 82. Reiffenstuel loc. cit. num. 45. & alii passim, arg. cap. De peregrinationis votis 1. de voto, & voti redemptione. Eo enim ipso, quod haec materia sit voto promissa, honestatem objectivam Virtutis Religiosis habet, jamque censetur melior, quam altera libera secundum se tantum aequalis, adeoque nequit commutari in opus aequale, nisi ab habente Jurisdictionem, cum hic non adsit ratio interpretationis Divinae Voluntatis, quod velit illud bonum aequale acceptare, sicuti adest in commutatione voti in melius. Unde si occurrat causa ita commutandi unum votum in aliud, eam cognoscere spectat ad Superiorem. Contraria tamen opinio defenditur tanquam vere probabilis à Diana part. 3. tract. 11. resolut. 48. cum pluribus ibi citatis à Tamburin. lib. 4. decalog. cap. 17. §. 5. num. 14. Sporer loc. cit. num. 83. & à multis aliis apud Castropal. disp. 2. p. 15. num. 4.

119 Commutatio voti in opus minus bonum nullimode potest fieri propria Voventis auctoritate & arbitrio, sed necessario fieri debet per habentem Jurisdictionem ecclesiasticam ordinariam, vel Delegatam. Communis. Et ratio est clara, quia Commutatio voti in opus notabiliter minus bonum non potest fieri, nisi per habentem potestatem etiam dispensandi, quia tunc remittitur partialis obligatio voti, quae utique est partialis dispensatio, adeoque &c.

120 Quicumque possunt Jure ordinario, vel Delegato in votis dispensare, possunt etiam illa commutare: At non è contra: Sic jam fere Communis, & recepta sententia Doctorum cum Suarez lib. 7. de voto cap. 12. numer. 10. Layman loc. cit. num. 20. Sporer loc. cit. n. 85. Henno loc. cit. quest. 3. §. 4. conclus. 2. Reiffenstuel loc. cit. num. 46. & alii moderatis passim contra Navarr. Silvest. Azarrium, Sanchez, & alios negantes posse commutare vota eos, qui in illis possunt dispensare solo Jure Delegato, uti sunt Confessarii approbati Ordinum Mendicantium, & in eorum privilegiis communicantium. Et ratio nostrae conclusionis, quod nempe etiam dicti Confessarii Regulares possint illa vota commutare, clara est, quia, ut expresse habetur in cap. Ex parte 27. de Decimis: Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, & ut etiam expresse habetur in cap. Cui licet 53. de Regul. Jur. in 6. Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus: Atqui potens dispensare, potest totam voti obligationem tollere, quod est plus & majus, ergo à fortiori poterit illam voti obligationem in altam commutare, quod est minus, qui enim potest remittere totum, potest & partem, adeoque Confessarii Regulares possunt commutare proportionaliter illa vota, in quibus possunt dispensare. (Vid. supra.)

121 Secunda autem pars conclusionis, nempe quod nequeat è contra in votis dispensare quicumque illa possunt commutare, de se patet, & admittitur communiter, quia cui conceditur minus, non conceditur majus, ut à sensu contrario colligitur ex juribus adductis. Minus autem est votum commutare, quam in

voto dispensare, ut expresse dicit S. Thomas a. 2. quest. 88. art. 10. & liquet ex dictis. Unde in Bulla Cruciatæ datur facultas vota commutandi, ut notant Buile expositores non tamen dispensandi.

Habentes facultatem commutandi vota possunt illa commutare, etiam si essent jurata. Vide verb. Jubilæum art. 2. num. 35.

Item commutare possunt etiam vota in favorem tertii facta & nondum acceptata. Vide ibid. num. 37.

Non possunt tamen commutare vota in favorem tertii facta, & jam acceptata. Vide ibid. n. 37. & verb. Juramentum art. 3. num. 33.

Dantur autem aliqui casus, in quibus possunt commutari, immo & relaxari à Papa, & interdum ab Episcopis, aliisque Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus Vota in favorem tertii facta & jam acceptata, & signante cum bonum commune id exigat, quia bonum commune prævaleat bono particulari, seu privato per vulgaria jura in cap. Bonæ memoria 3. de postulatione Prælat. cap. Scias caus. 7. quest. 1. l. Actio ne 65. §. 4. ff. Pro socio Novella 39. cap. 1. ver. Ea enim, cum similibus. Vide verb. Juramentum art. 3. num. cap. 4. (Vide verb. Pasqua, in novis.)

Confessarii privilegiati, & Regulares possunt commutare votum de non pendente commutatione, aut dispensatione Votorum. Vid. dict. verb. Jubilæum art. 2. num. 39.

Item commutare possunt etiam vota Castitatis, Religionis, ac trium Peregrinationum, Hierosolymitanæ scilicet, Romanæ, ac Compestellanæ, quando non sunt vota proprie dicta, omnino perfecta, omnino certa, omnino determinata, omnino absoluta, & quando sunt conditionata, & penalia. Vide supra num. 80. ad 91. dicta de votorum dispensatione, & discurre proportionaliter de eorum commutatione, & vide etiam verb. Jubilæum art. 2. à num. 40. ad 49. & discurre hic pariter.

Votorum commutatio fieri potest etiam extra Confessionem: Immo etiam cum absentibus. Vide supra num. 114. & dict. verb. Jubilæum art. 2. num. 65.

An autem commutatio votorum fieri possit etiam à Confessario, non nisi audit Confessionem Penitentis, & cui Penitens nullatenus vult confiteri? Vide d. verb. Jubilæum art. 2. num. 56. & 67.

Ad commutationem voti in aliud opus manifeste melius nulla requiritur causa, sed sufficit sola voluntas Voventis: Unde commutare votum in manifeste melius, validum, licitum, & meritorium est. Communis.

Ad commutationem voti in aliud opus non melius, sed solum aequale, vel quasi aequale, requiritur aliqua causa, sed sufficit modica: Unde commutare votum in aliud opus aequale, vel quasi aequale, & non notabiliter minus absque omni causa, est quidem validum, sed venialiter illicitum, quia est abusus potestatis, quamvis in re levi. Communis.

Facultas dispensandi, & commutandi vota in ædificationem, non in destructionem Prælati Ecclesie concessa est. At qui sine ulla causa, vel ex levi non modica, vota commutet, vel dissolvat, hæc potestatem in ædificationem non utitur, Rursus; ubi causa nulla est, dubitari jure meritoque potest, num adsit in Prælato dispensandi, & commutandi potestas; agitur enim de facta Deo promissione, quæ acceptata præsumitur, cujus obligationis solutio, non aliud videtur, quam declaratio, quod in data circumstantia cesset obligatio, aut sese homo obligare non voluerit.

An talis commutatio valeat in destructionem, & non in ædificationem, judicet omnibus attentis, prudens & eruditus lætor: Sicuti, an ubi nulla est commutandi, non solum sit illicitum venialiter, sed dubitari jure meritoque possit, num adsit in Prælato dispensandi, & sic commutandi facultas? Et recolat quæ ibi trado ego, & infra sub n. 133. sic subdens: Pro praxi observanda in votorum commutatione, non potest tradi una & certa regula pro omnibus. Unde commutans debet, prudenter tria præcipue attendere, juxta id, quod statuit Innocentius III. in cap. Magnæ devotionis 7. de vo-

to §. Et quidem, ibi: Et quidem tria præcipue duximus in hoc negotio attendenda. Quid liceat secundum aequitatem, quid liceat secundum honestatem, & quid expediat secundum utilitatem.

132 Ad commutationem voti in aliud opus notabiliter minus requiritur necessaria causa gravis, ut est imperfecta delibetatio Voventis: Difficultas exequendi; damnum spirituale, vel corporale; majus bonum speratum & hujusmodi: Unde commutare votum in aliud opus notabiliter minus absque justa gravi causa, nedum est graviter, seu mortaliter illicitum, cum sit abusus potestatis in re gravi, & non concedunt omnes, sed probabilis est etiam invalidam, quia taliter commutans excedit suam potestatem, cum illam non habeat, nisi ut commutet in aequale; vel si in minus, ratione potestatis dispensandi, non nisi ex justa gravi causa, juxta dicta de dispensatione supra num. 59. Sic communior, & probabilior Doctorum sententia cum Suarez, Navarr. & Azor. Castropal. Illung. La-Croix loc. cit. n. 526. & ipso teste multi alii; Henno loc. cit. aliique plures, quamvis non desint graves Doctores, ut Sanchez, Diana, Tambor. Bellegambi. Sporer loc. cit. num. 120. & alii vere probabiliter defendentes, quod talis commutatio in notabiliter minus sit quidem graviter illicita, sed tamen adhuc valida; & sit solum obligatio supplendi id, quod deest ad æqualitatem materie subrogatæ ad materiam voti, uti fit in contractibus permutationis, aut venditionis, qui non annullantur ex inæqualitate rei vel pretii, sed remanet solum onus supplendi id, quod ad æqualitatem deest. At quamvis sit vere probabilis hæc sententia propter hanc paritatem, negatur tamen omnimoda paritas, quia commutatio inæqualis in dictis contractibus validatur à jure ad vitandas lites: Non sic autem commutatio notabiliter inæqualis in votis validatur à Deo, cum ipsa non det facultatem Ministro excedenti notabiliter suam potestatem, quæ data est in ædificationem, & non in destructionem; ut expresse dicit Apostolus 2. ad Corinth. capit. 16. n. 8. & cap. 13. n. 10. Ubi autem deest conditio, sub qua datur commutandi potestas, deficit ipsa potestas, consequenter & ipsa commutatio, arg. leg. Si quis sub conditione 8. ff. Si quis omnia causa. Vide supra n. 59.

133 Pro praxi observanda in facienda commutatione votorum non potest tradi una, & certa regula pro omnibus. Unde commutans debet prudenter tria præcipue attendere, juxta id, quod statuit Innocentius III. in cap. Magnæ devotionis 7. de Voto §. Et quidem, ibi: Et quidem tria præcipue duximus in hoc negotio attendenda. Quid liceat secundum aequitatem, quid liceat secundum honestatem, & quid expediat secundum utilitatem.

134 Generaliter loquendo nisi circumstantiæ, & cause aliquid exigant, commutari debet votum reale in reale, personale in personale, mixtum in mixtum, perpetuum in perpetuum, temporale in temporale, ut sic, quantum fieri potest, majus servetur æquitas, & proportio, ut communiter tradunt Doctores.

135 Item generaliter loquendo in commutatione voti non est attendenda sola materia promissa, sed etiam finis promissionis, nec sola excellentia Virtutis in materia subroganda, sed attendi debet id, quod magis ad Dei honorem, & cultum, ac ad Voventis salutem conducit, diligenter consideratis omnibus circumstantiis personarum, locorum, & temporum. Unde si quis verbi gratia venerit flagellacionem, seu disciplinam ad edomandam carnem Spiritum rebellantem, melius commutabitur tale votum in jejunium, quam in orationem, cum magis conducatur ad finem intentum edomandæ carnis rebellis jejunium, in quæ oratio. Licet enim oratio sit excellentior virtus in se, non tamen in tali casu cum respectu ad finem, & salutem Voventis, cum jejunium respectu ipsius sit aptius ad edomandam rebellem ejus carnem, & sic ad retrahendum ipsum à Dei offensa. Et sic de similibus, ut notant communiter Doctores recte addentes, quod consultus sit vota personalia commutari in Sacramentorum frequentiam, cum Sacramenta efficacius, & facilius conducant ad salutem Voventis, quam cetera opera.

Specialiter, ac particulariter loquendo votum simplex, & absolutum, ac perfectum Castitatis perpetua, vel Religiosis ingrediende ad effectum Matrimonii contrahendi, solet à Pontifice, aut ejus Delegato commutari in perpetuum jejunium certis diebus, v. gr. Feriæ sextæ, & Vigiliæ S. Fundatoris illius Religiosis cum competentis aliqua elemosyna, ac alio bono opere singulis annis, aut in Confessionem & Communionem bis in mense, sed sine dubio eam admixta dispensatione, cum votum absolutum Religionis, & Castitatis perpetua nunquam possit proprie commutari, ex quo aliud omne opus subrogandum minus sit, adeoque semper est admiscenda dispensatio, ut recte notant Sanchez lib. 4. moral. cap. 56. num. 41. Sporer loc. cit. num. 127. Felix Potest. tom. 1. part. 2. num. 1939. Gobat tom. 2. tract. 3. cap. 31. num. 319. & alii passim docentes posse in similia commutari Confessarii privilegiatis, quando votum non est perfectum, & absolutum, non nisi in votum Religionis ingrediende, si non petatur commutatio ad effectum Matrimonii contrahendi, solet commutari in statum Sacerdotalem, & jejunia illius Religionis, ac aliquas elemosynas singulis annis in honorem Sancti Fundatoris illius Religionis. Non potest tamen quis tale votum commutare simpliciter in suspensionem Episcopatus, quia licet status episcopalis secundum se sit perfectior, non efficit tamen hominem perfectiorem, quam Religio, licet perfectiorem esse supponat. Unde in cap. Per tuas 10. de voto, qui votum Religionem ingredi, & voto non adimpleto suscipiat Episcopatum, cogitur Episcopatum resignare, & Religionem ingredi, ibi: Consultimus, ut si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesie memorata, ac reddas Altissimo Vota tua. Votum autem ingrediendi Religionem strictiorem potest justa de causa commutari à Confessariis privilegiatis, & Regularibus in laxiorem, servata debita æqualitate, & proportionem. Sic Viva de Jubilæo quest. 11. num. 11. cum Lessio, Bonac. & Sanchez ibi citatis; Leander de Voto tract. 1. disp. 18. num. 50. Gobat tom. 2. tract. 3. cap. 41. num. 319. & alii. Vide supra num. 91. & 108.

Votum suscipiendi Sacerdotium commutari potest in quotidianam recitationem Officii B. M. V. vel septem Psalmorum Penitentialium cum Litanis Sanctiorum, & in procurandam celebrationem Sacri semel in quolibet mense, & in Confessionem, ac Communionem bis singulis mensibus, & in Votum Castitatis in statu Laticæ, & si nolit Castitatem servare, in perpetuum jejunium singulis sextis Feriis, vel Sabbatis.

Votum non contrahendi Matrimonium potest commutari in Confessionem, & Communionem semel singulis mensibus, in perpetuum jejunium unius diei singulorum mensium, in quotidianam recitationem Litaniarum B. Mariæ Virginis, vel in procurandam quorundam celebrationem octo, vel decem Missarum, quamvis Sanchez loc. cit. num. 42. Gobat loc. cit. cap. 42. n. 325. & quidam alii dicant posse commutari in Confessionem singulis mensibus biennio, aut triennio faciendam. Item que in novem Sacra extra ordinem faciendam.

Votum peregrinationis pedestris ita commutari potest, ut labor itineris compensetur totidem dierum jejunio. Peregrinationis vero equestris quatuor dierum iter compensetur unius diei jejunio una cum erogatione in pauperes omnium illarum expensarum, quas Vovens juxta sui status conditionem evendo, commorandò, & redeundo esset factururus. Sic Communis quoad expensas, quas esset Vovens factururus evendo, & commorandò, & communior, ac verior Doctorum sententia quoad expensas, quas esset factururus redeundo. Gobat 1. 2. tract. 3. cap. 39. n. 30. Sanchez de voto cap. 56. n. 11. cum multis ibi citatis, Leander de voto disp. 18. quest. 47. Bardus, & alii ibi allegati; Suarez lib. 6. cap. 19. numer. 10. & alii plures per expressum textum in cap. Magnæ devotionis 7. de voto, & voti redemptione, ubi in simili voti commutatione Summus Pontifex vult habendam esse rationem laboris, & expensarum, non solum pro accessu, & mora; sed etiam pro regressu, ibi: Tibi pro te, & famulis tuis licentiam concedimus Vo-

BIBLIOTECA CENTRAL



Votum Peregrinationis taliter commutare, ut expensas, quas fuerat in eundo, morando, & redeundo facturum, alicui Religioso committas in necessarios usus terræ illius (nempe Sanctæ, ad quem Trecensis Episcopus, de quo ibi est sermo, Peregrinationem voverat) sine diminutione qualibet transferenda... laborem etiam laboribus recompenset sollicitius instando vigiliis, devotius vacans Orationibus, & in jejuniis fortius te exercens.

143 Henriquez autem lib. 7. cap. 3. Rodriguez tom. 2. cap. 100. Graffius lib. 2. cap. 30. num. 9. Felix Potest. tom. 1. part. 2. à num. 1950. & alii negant in tali commutatione computandas esse expensas, quas Vovens esset facturum in regressu, & dicunt non ob stare allatum, quia ideo in illo casu voluit Pontifex habendam esse rationem etiam expensarum regressus, quia tunc agebatur de summa indigentia elemosynarum pro liberatione Terræ Sanctæ ab Infidelium manibus, ita ut ad talem finem etiam Cruciatam indixerit: Unde si cui casus, & circumstantiæ illius textus non habent locum in aliis casibus Peregrinationis, ita non faciunt, ut eadem dispositio particularis extendatur ad alios casus generaliter: A diversis enim non fit illatio, nec in ipsis est faciendi extensio de casu in casum, leg. Sed si ante 17. ff. de except. l. Papinianus 2. ff. de Minoribus, l. Si Marius 10. in fine, Cod. de donat. inter virum, & uxorem, cap. Ad audientiam 12. de Decimis, (Verb. Executor, n. 31.) cum similibus. Quæ opinio est probabilis, & tuta, uti etiam tutam vocat Gobat loc. cit. quamvis non esse tutam contendat Suarez cit. lib. 9. cap. 19. num. 10.

144 In simili autem commutatione sunt semper deducendæ expensæ, quas tunc Vovens erat domi facturum, cum illæ nullimode includantur in voto. Sic Doctores Communiter.

145 Si voto Peregrinationis v. gr. ad Sacram Lauretanam Ecclesiam unum sit etiam votum de elargiendi dictæ Ecclesie lampadem centum aureorum, & illa lampas fuerit jam à Rectore seu Procuratore nomine dictæ Lauretanæ Ecclesie acceptata, dictum votum de elargienda tali lampade nequit commutari per dicta supra num. 124. & sub verb. Jubilæum art. 2. num. 37. & sub verb. Juramentum art. 3. num. 33. Unde dicta lampas debet ad præfatam Lauretanam Ecclesiam transmitti, sed expensis commutationis dictæ Peregrinationis, ut scilicet ab expensis, quas esset Vovens in ipsa peregrinatione facturum, & ratione commutationis in pauperes erogandis tantum detrahat, quantum sufficit pro transmissione lampadis: Si autem votum de elargienda dicta lampade nondum fuerit acceptatum, tunc posset commutari, & lampas alteri Ecclesie elargiri, seu in alia opera pia, aliqua rationabili causa existente, converti, per dicta supra numer. 123. & sub verb. Jubilæum art. 2. num. 36.

146 Expensæ, quas vovens erat in Peregrinatione facturum, possunt commutari in totidem elemosynas elargiendas Ecclesie, pauperibus, aut in alia pia opera applicandis. Non enim necesse est, quod transmittantur ad Ecclesiam, & locum, quo erat peregrinaturus, quamvis hoc esset consultius, si commode fieri posset. Communiter.

147 Labores, incommoda, & pericula peregrinationis commutari debent in opera pia, puta in jejuniis, orationibus, ac vigiliis, juxta text. in cap. Magnæ devotionis 7. de voto allat. supra num. 242.

148 In commutatione voti peregrinationis semper addi debent Confessiones, & Communiones, & Visitationes Ecclesiarum, seu Altarium illorum Sanctorum, ad quos erat peregrinatio eo voto, directa, ut monent Doctores Communiter.

149 Votum jejunandi in perpetuum omnibus Sabbatis commutari potest in recitationem Rosarii cum moderata elemosyna faciendi dictis omnibus Sabbatis, vel in Confessionem, & Communionem bis in singulis mensibus.

150 Votum jejunandi semel in pane, & aqua commutari potest in unam Confessionem, & Communionem, aut in recitationem Rosarii cum verberatione corporis,

seu aliqua elemosyna competentè statui, & conditioni Vovens.

Votum elargiendi talem elemosynam pauperibus commutari potest in servitium Hospitalis tor diebus sufficientibus judicio prudentis Confessarii ad compensandam elemosynam. Sic è converso votum servitii hospitalis tor diebus commutari potest in correspondentes elemosynas ipsi hospitali elargiendas. Et hæc pro exemplari sufficiant. Poterit enim prudens Confessarius ex istis colligere alias similes commutationes faciendas; dummodo semper attendat ad personarum conditionem, sexum, dispositionem, & hujusmodi, ratione quorum pro eodem voto minor subroganda est peregrinatio, v. g. debili, ac seni, quàm viro robusto, ac juveni; minor elemosyna pauperi, quàm diviti; pauciora jejunia debili, ac laboranti, quàm otioso, ac bene valenti, & sic de similibus.

Quæcumque autem vota, exceptis realibus à tertio acceptatis, commutari possunt in Professionem Religiosam; immo per ipsam penitus extinguuntur. Vide supra num. 8. & 9.

Facta commutatione voti liberum forte est Voventi, aut prius votum exequi, aut opus, in quod prius votum commutatum est: Immo etiam ejusdem operis novam commutationem ob rationabilem causam petere, & obtinere poterit. Et si pluries commutatio facta sit, poterit quodlibet opus substitutum eligere, vel ad votum redire. Communiter. Et ratio est, quia commutato facta est in favorem Vovens; quisquis autem favori, ac Juri suo renunciare potest; cap. Si de terra 6. de privi. & l. Si quis in conscribendo 29. Cod. de padis. (Vid. sup.) Et quilibet renuntiare potest ei, quod pro se noscitur introductum, textu expresso in cap. Ad Apostolicam 16. de Regularibus: Et quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, ut expresse habetur in cap. Quod ob gratiam 61. de Regul. Juris in 6.

Facta Commutatione voti, si opus subrogatum fiat postea possibile, vel inutile, etsi per culpam Vovens, & exequi prius votum suum; quippe quod per legitimam commutationem jam extinctum est; obligatio enim semel extincta non reviviscit; leg. Qui res 98. §. 8. ff. de solutionibus. Peccavit tamen Vovens, si ejus culpa opus subrogatum factum sit impossibile; unde si votum verb. gr. dando certam elemosynam commutatum sit in aliquod certum jejunium, & tale jejunium, sive ob justam causam excusantem, sive ex causa culpabiliter contracta nequeat à Vovente adimpleri: Immo etiam culpabiliter jejunare negligat, atque peccet, non tenetur reddere, & exequi votam elemosynam. Communiter.

Qui commutare potest votum, potest & penam ratione voti transgressi debitam commutare. Unde si quis verb. gr. voverit se non lusurum, aut se non inebriaturum, vel in penam jejunaturum, & interea sæpius transgrediendo penæ obligationem ex voto incurrit, nec persolverit, Confessarius privilegiatus poterit ob justam causam, non solum commutare votum quoad Obligationem facti, & penæ in futurum, sed etiam poterit commutare obligationem penarum pro præteritis transgressionibus incurzarum; Sic Sanchez lib. 4. moral. cap. 52. num. 10. & cap. 56. num. 33. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 20. Suarez lib. 6. de voto cap. 20. num. 18. Sporer loc. cit. num. 134. Henno tom. 1. tractat. in Decalog. disp. 2. quest. 3. §. 5. vers. Petes sexto; & alii plures contra Navarr. & alios. Et ratio est quia votum magis obligat ad materiam directe promissam, quàm ad penam, adeoque Confessarius potens commutare Votum quoad materiam directe promissam, poterit & commutare quoad penam: Cui enim licet quod est plus, licet utique quod est minus, textu expresso in cap. Cui licet 13. de Regul. Juris in 6. & ubi majus conceditur, minus concessum esse videatur, ut expresse habetur in cap. Ex part. 27. de Decimis.

Habens potestatem ordinariam, vel delegatam ad vota commutanda, tenetur ipsa commutare, cum ob-

rationabilem causam ad id requiritur. Communiter. Et ratio est, quia nisi justam causam habeat talem commutationem denegandi, censetur infidelis Minister, cum recipiendo dictam facultatem se implicite obligaverit ad ejus usum, ubi requireretur, & justa adesset causa. Vide supra n. 67.

158 Hactenus dicta de Votis currunt salva proportione etiam de Juramentis. Vide verb. Juramentum art. 3. per tot.

159 Alia ad rem: Vide verb. Jubilæum art. 2. & verb. Impedimenta Matrimonii art. 3.

160 Votorum commutato (Religionis & Castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera faciendi à Confessariis conceditur in Jubilæo universalis; Bened. XIV. tom. 1. const. incip. Lætiæ Apostolicæ servitutis §. 4. & const. 110. incip. In suprema §. 4. Vota simplicia, exceptis Religionis, Castitatis, ac Ultramarino, & Visitationis Limitum Apostolorum, in alia pia opera rite commutari possunt per Confessarium electum ex approbatis ab Ordinariis loci in vim Bullæ Cruciatæ. Idem const. 86. incip. Quoniam §. 8.

162 Vota tamen simplicia etiam Castitatis, & Religionis, ac Sacrarum Peregrinationum, dispensando commutare potest Major Pœnitentiarius Romanus. Idem const. 95. tom. 1. Bull. incip. Pastor bonus §. 29.

163 Vota simplicia in Congregatione Missionis emissa à nemine quacumque causa, & occasione dissolvi possunt, præterquam à Romano Pontifice, aut à Superiore Generali Congregationis in actu dimissionis tantum: Idem constit. 69. incip. Quo magis: Vota simplicia quæ in Societate Jesu post biennium probationis emittuntur, beneficiorum vacationem non inducunt: quamvis in Congregatione quinta Generali ipsius Societatis Canon 19. statutum fuerit, ut qui Societati nomen dederit, explero biennio, antequam vota simplicia emittat, Ecclesiastica beneficia dimittere debeat: quo casu hujusmodi beneficia, si minus propter professionem, at propter renuntiationem vacare intelliguntur: Idem const. 25. incip. Ex quo §. Denique: ex Suarez, Pellizzario, Riganti, Pitonio, & alii.

166 Ad complementum jurat hic adicere decretum Summi Pontificis Benedicti XIV. prævio consilio particularis Congregationis ab ipso deputatæ Cardinalium de Gentilibus, Calvalchini, Tamburini, & Besotti, necnon Archiepiscopi Damasceni, Congregationis Episcoporum, & Regularium, atque ejusdem Congregationis particularis Secretarii, super dubio, an vota, quæ à Conversis Cisterciensibus emittuntur, simplicia sint, vel solemnia?

Delata ad Pœnitentiariæ Apostolicæ Signaturam controversia de votis, quæ in Professione à Conversis Cisterciensibus emittuntur, an simplicia sint, vel solemnia, eadem à dubii definitione se abstinent, eo potissimum sub obtentu, quod de ea agendum esset in Congregatione Episcoporum, & Regularium, cui jam exhibita fuerant suffragia Patrum Generalis, & Procuratoris Generalis Ordinis Cisterciensis. Sed cum nec ab hac ullum usque adhuc judicium prodidisset, opportunum, & congruum fore reputantes, si rem totam ad Nos avocaremus, in Congregatione particulari coram nobis habenda discutiendum, supradictorum Cardinalium, & Secretarii Congregationem deputavimus: quæ habita coram Nobis die 16. currentis mensis Martii, unanimi censuit suffragio, vota à Conversis Cisterciensibus in professione emissa, non esse simplicia, sed solemnia.

Et sane, si in ipso Familiæ Cisterciensis exordio, quæ seculo undecimo contigit, Monachis Conversi ad juncti fuerunt, ut Monachi in claustris solitudinis, & contemplationis vacarent; & conversi domos illas regerent, in quibus utilia hominum necessitati parabantur, & sic de conversis stratum est, tuncque definerunt, se conversos laicos barbaros licentia Episcopi sui suscepturos, eosque in vita sua, & in morte, excepto monachatu, ut semetipsos tractaturos: ut legitur in exordio Cisterciensis Cenobii tom. 1. Bibliothecæ Patrum Cisterciensium Tissies, & autumantis, citatum Ferrar. Biblioth. Tom. I. X.

Opusculum esse S. Stephani Abbatis Cisterciensis.

Si coacto secundo Lateranensi Concilio anno 1139. sub Pontifice Innocentio II. statutum est, nulla futura Matrimonia, quæ post Professionem fierent à Conversis; si hoc ipsum confirmatum fuit in Concilio Rhemeni, habito sub Eugenio Papa III. qui in minoribus fuerat Abbas Sanctorum Vicentii, & Anastasii Romæ ad Aquas Salvias, Sanctique Bernardi discipulus; si Pontifex Alexander hujus nominis III. in sua Decretali, quæ incipit: Non est vobis, sub tit. de Regularibus, æquali erga Abbatem obedientiæ jugo respondit esse subjectos tum Monachos, tum Conversos Ordinis Cisterciensis, suadet hæc omnia, quod vota à Conversis Cisterciensibus in professione emissa non simplicia sunt, sed solemnia: quod etiam fuit animadvertum, à Mabilonio, Monachorum Institutum peritissimo, in sua præfatione in parte 2. seculi sexti Ordinis Sancti Benedicti §. IX.

Nec, ut ab hoc sensu quis recederet quidquam prodesset petunt verba, quæ à Conversis Cisterciensibus in professione emittuntur: Pater, primito tibi obedientiam de bono usque ad mortem; præterquam quod enim compertum est, quinque prioribus Ecclesie seculis nullam in emitenda Professione verborum formam fuisse præscriptam, & quod nec etiam juxta præsentem disciplinam unius Instituti Regularis Professio concordat in verbis cum Professione alterius Instituti; cum alumni Sancti Benedicti promittant stabilitatem loci, conversionem motum, atque obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti; alumni Sancti Dominici voveant obedientiam secundum regulam Sancti Augustini; alumni Sancti Brunonis suorum motum conversionem promittant; quæ promissio æquipollere videtur promissioni conversorum Cisterciensium, obedientiæ de bono usque ad mortem.

Vis in eo consistere visa est, quod ad effectum, de quo agitur, nedum verborum, sed ceterorum quoque extrinsecarum circumstantiarum ratio habenda est. Cumque in libro antiquarum definitionum Ordinis Cisterciensis dist. 14. cap. 1. tit. de Receptione, & Professione conversorum, legatur, quod post expletum Novitatus annum, Conversus, ad Capitulum Monachorum accedens, post ratam primo veniam petit, & deinde surgens ad imperium Abbatis, & interrogatus, spondeat stabilitatem suam, post quæ Abbas dicit: Det Deus perseverantiam, omnesque respondeat: amen: quodque omni proprietate relicta, suorumque bonorum facta, prout liberit, & maxime favore pauperum, distributione, flexis genibus jungat manus, easque ponat inter manus Abbatis, eique promittat obedientiam de bono usque ad mortem, Abbasque respondeat: Det tibi Deus vitam æternam: respondentibus omnibus: amen: quæ omnia quoque leguntur in Rituali Cisterciensium lib. 6. de Ritu suscipiendi Fratres cap. 6. sub titulo de Receptione, & Professione Conversorum.

Accessus ad Capitulum, non tempore Novitatus, sed post Novitatum expletum per integrum annum, promissio stabilitatis post interrogationem de ea factam, & ejusdem acceptatio facta ab Abbate, cuius est professionem admittere, solemnitas proprietatis abdicatio, genuflexio ante Abbatem, & cetera solemnia, quæ committuntur professionem obedientiæ de bono usque ad mortem; æternæ vitæ precatio, memoratæ obedientiæ correspondens, satis innuunt, professionem esse solemnem, in eaque impliciter, & virtualiter contineri vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, quæ utpote juncta professioni Regulari, non simplicia sunt, sed solemnia, juxta responsum Bonifacii VIII. in cap. nunc. de voto, & voti redemptione, in sexto.

Unanime interessantium Congregationi suffragium pro solemnitate votorum, quæ à Conversis Cisterciensibus in professione emittuntur, fuit à nobis in ipsa Congregatione ore tenus approbatum. Hoc ipsum à nobis præsentis nostro decreto confirmatur, quod nostro sigillo munitum Archiepiscopo Damasceno Congregationis Episcoporum, & Regularium, & particularis Congregationis Secretario, manibus nostris consignamus.

BIBLIOTECA CENTRALI



mus, demandantes, ut illud referat inter Acta Congregationis Episcoporum & Regularium, & Decreti exemplar ad Penitentiarium Apostolicam, & Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, inter sua Acta approbandum, transmittat: ut unanimes in posterum sit sententia de solemnitate votorum, quæ a conversis Cisterciensibus emittuntur.

Datum ex Palatio Apostolico Quirinali hac die 21. Martii 1747.

167 Circa votorum irrationem, dispensationem, & commutationem, vide quæ de privilegiis Regularium alibi adnotata sunt.

¶ Videat quidem prudens, & eruditus Lector, quæ de privilegiis Regularium alibi adnotata sunt; sed videat etiam, & ponderet, quæ ego ibi tradidi, & quæ in hisce animadversionibus ad ipsas notas respondeo sub verb. Privilegium. Videatur insuper egregium, immortale, æternumque commendabile opus Bullarium nempe præclarissimi Ordinis Prædicatorum editionis Romanæ 1640. Hieronymi Mainardi, & præcipue tom. 8. & trad. de consensu Bullarum, & facile convinci poterit quicumque contrarium senserit de variis privilegiis Regularium, & ad id signanter videantur tradita ibi pagin. 434. num. 6. præcisus his verbis. Quæ de re audiendus Illustrissimus, & Reverendissimus D. Secretarius Congregationis Indulgentiarum quæ dubia varia proponens eidem Sacre Congregat. Feria 6. 30. Aprilis 1734. in Palatio Apostolico Quirinali habendæ, sic Eminentiſſimos Patres, & Reverendissimos Consultores allocutur in scripto Romæ 1734. impresso typis Philippi Zet nobii Typographi Sanctissimi D. N. Clementis XII. Sane quod spectat ad expressam revocationem laudatæ Constitutionis (à Benedicte XIII. concessæ Ordini Minorum, & à Clemente XII. simul cum aliis revocata) similis instantia fuit in hac Sacra Congregatione proposita sub die 21. Januarii proxime præteriti anni, supplicantibus Canonici Regularibus Sancti Salvatoris rezalvi. An per moderationem, seu revocationem expressam Bulla incip. In Sede favore ipsorum à Benedicte XIII. editam Indulgentiæ ipsi concessæ, necnon privilegium Altaris, intelligeretur revocatum = cui dubio responsum fuit ab Eminentiſſimis Patribus. = Negative. = Ex quo in narratâ Bulla Sanctissimi D. N. Clementis XII. ad amovendam litem occasionem, ad terminos juris communis Benedicte Constitutiones reduci, asseratur, ac proinde solum privilegia contentiosa, ac jurisdictionem Ordinariorum impediencia videantur revocari. Quæ sane verba, quibus Illustrissimus D. Secretarius mentem Sacre Congregationis declarat, apprime notanda sunt, ut id genus dubia resolvat possint. Hæc ibi. Unde cum ex hac Sacre Congregationis declaratione à Clemente XII. in sua constitutione Romanus Pontifex: solum privilegia contentiosa, ac jurisdictionem Ordinariorum impediencia, videantur revocari, istis solum exceptis, omnia alia in suo firmo robore subsistunt, quæ Benedicte XIII. concessit, ac innovavit in duodecim constitutionibus pro variis Regularibus editis, & in dict. constit. Romanus Pontifex: à Clemente XII. enuntiatis: Sicque inter varia alia, firmum subsistit Regularium privilegium recipiendi ordines extra tempora, & posse Episcopos libere, licite, ac tuto sine ullo scrupulo eos sic ordinare, ut expresse declaravit, ac innovavit perennis memorie Benedicte XIII. nedum in Concilio Romano, sed etiam in constitutione Pretiosus edita pro inclyto Ordine Prædicatorum, ibi: Quia vero ad aures nostras pervenit, non obstante nostra, ac etiam novissimi Romani Concilii per nos habiti tit. 5. cap. 11. sententia, quod Regulares vigore suorum privilegiorum tuto, & absque novo indulto Apostolico extra tempora Sacris initiantur etiam post (N. B.) Decreta Concilii Tridentini, à nonnullis etiam Episcopis in dubium revocari, & inter tales Regulares, licet indefinite nominatos, recentiori debent Fratres prædicti Ordinis Prædicatorum, motu scientia, & auctoritate prædictis declaramus, eosdem Fratres, ex nostra ac didi etiam Romani Concilii Definitione, eodem privilegio frui, ac potiri posse, & debere, & quatenus opus sit, pariformiter dispensantes super quocumque

contraria dispositione, de novo illud idem privilegium pro singulari nostra erga prædictum Ordinem, intra cuius dilectissimum sinum adhuc versari gloriamur, dilectionem, iisdem fratribus signanter, specificè, & in individuo concedimus, quatenus à diocesano, eoque renuente, aut non valente, à quocumque Catholico Episcopo ordines extra tempora suscipere, & Episcopi ipsi conferre libere, & licite valeant juxta Declarationem S. Pii V. in Bulla: Et si Mendicantium, & Decretum Clementis VIII. & uberius explicata in dicto Concilio Romano nostro tit. 5. cap. 1. & tit. 21. cap. 11. Sic ibi ad literam: Vide laudatum Bullarium tom. 6. pag. 621. & pag. 733. ubi refertur constitutio Clementis XII. incip. Cum si cutu: in qua expresse declarat, se in dict. constit. Romanus Pontifex: non revocasse privilegia Regularium ipsis concessa ante dictas Constitutiones Benedicte. Idemque concessit Fratribus nostri Ordinis de Observantia in constit. Summe decet: in qua confirmatis, & innovatis centum, & tredecim constitutionibus suorum Antecessorum Pontificum ibi enuntiatis, pro variis privilegiis Ordini nostro concessis sub num. 121. inter alia sic expresse concedit, & innovat Privilegia, & indulgentia spiritualia, & temporalia, etiam quoad susceptionem Sacrorum Ordinum extra tempora à jure statuta, absque exhibitione literarum Apostolicarum in forma Brevis, vel expresse, vel per viam communicationis Regularibus concessarum, ut super à nobis ipsis in Concilio Lateranensi, & per Congreg. particularem decretum est, aliasque gratias per modum etiam communicationis & extensionis cum aliis Ordinibus mendicantium, & non mendicantium, præsertim S. Benedicte, ac quem Nos professi sumus, Ordinis Prædicatorum, necnon Societatis Jesu. Nec dictum privilegium suscipiendi Ordines extra tempora adimit Regularibus Benedicte XIV. in sua constit. Impositi nobis: Immo tale privilegium esse habere aperte innuit in §. Hæc profecto expresse dicens: Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus Episcopis Sacram Ordinationem administrare, præterquam in temporibus ab Ecclesia statutis eorum privilegia de Ordinibus extra tempora suscipiendi, effectu vacua remaneant: Episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandi Regularibus facile inveniunt. Quid clarius? Nisi totoqueantur, & perperam interpretentur dicta verba Pontificis. Vult quidem Laudatus Pontifex, quod Regulares dependeat, ut par est, à propriis diocesanis Ordinariis pro suscipiendi Ordinibus, & ipsis absentibus, vel non valentibus, aut renuentibus sacram Ordinationem extra tempora ipsis administrare, vel si ordinationem in temporibus ab Ecclesia statutis, non sint ipsi habituri, nequeant Regulares ab extra diocesanis Episcopis ordinari, nisi secum attulerint authenticam attestationem Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejusdem Episcopi diocesani, ex qua constet, vel ipsum à diocesi abesse, vel Clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per Ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Ceterum per omnia superadducta, & signanter per dicta expressa verba ejusdem Benedicte XIV. & per constitutiones Pretiosus, & Summe decet: aliasque Benedicte XIII. non revocatas quoad hoc à Clemente XII. in sua constit. Romanus Pontifex: juxta supra allatam declarationem Sacre Congregationis, viget in Regularibus privilegium suscipiendi ordines extra tempora, & extra ipsa possunt proprii diocesanii Episcopi eos licite, ac tuto ordinare. Sicque servant plurimi Episcopi pietate, virtute, & intelligentia Apostolicarum constitutionum conspiciunt, Regulares omnes suæ respectivæ diocesis sine alio, & illos aliarum diocesis cum supradicta authentica, sine nullo scrupulo in dies ordinando, & in traditis de administrata ordinatione documentis apponendo, eos Regulares sic extra tempora ordinasse vigore suorum privilegiorum, & plurima similia documenta egomet ipse vidi, & alia alia de recenti videre. Alia ad rem vide in Supplem. verb. Ord. Ordinate, & toties laudatum D. Alfonso de Liguori in suo novissimo opere edito 1759. c. 20. punct. 4. §. 2. num. 115. Videatur insuper constit. Benedicte XIII. in-

cip. Libenter §. 18. pro inclyto Ordine Eremitar. S. Augustini, ubi id eis competere declarat, & decernit, & quatenus opus sit, super quocumque contraria dispositione dispensat, ac de novo privilegium hujusmodi eis concedit. (Repete quæ sunt lit. D. pag. 8. col. 2. num. 57. ubi summam quid leges nostræ disponant, seu referant, pettingitur.)

VOTUM PRO ELECTIONE. Vide verb. Electio art. 3. & 4. fere per tot.

VOTUM PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII. Vide verb. Impedimenta Matrimonii art. 1. à num. 23. ad 26.

USUCAPIO. Vide verb. Præscriptio.

USURA.

1 Usura dicitur ab usu, sicut cultura dicitur à cultu: unde in hoc sensu Cicero in Verrem dixit: Cur piraticis lucis usuram tam diuturnam dedisti. Sicque usura in genere significat usum alienius rei. Item usura sæpe accipitur pro incremento, seu lucro, & commodo, seu tractu ex rei usu proveniens, teste eodem Cicerone, qui lib. de senectute sic expresse dicit: Terra nunquam sine fructu reddidit quod accepit, ubi fructus supra semen, seu incrementum, & lucrum, quod ex semine sibi mandato reddit, usuram appellat. Ad nostrum autem propositum usura sumitur vel pro conventione, seu contractu usurario, vel pro lucro, quod ex contractu acquiritur, quod etiam fenus appellatur à Fenu, quasi factus, seu partus, aut genitura pecuniæ, vel alterius rei pretio æstimabilis mutuo data.

2 Usura capta pro conventione, seu contractu usurario definitur, quod sit mutuatio cum pacto expresso, vel tacito accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem tantum mutui. Usura autem capta pro lucro, quod ex contractu usurario acquiritur, definitur, quod sit lucrum immediate ex mutuo proveniens tamquam debitum, id est, incrementum, quod vi mutui intenditur, & accipitur tamquam debitum supra id, quod mutuo datum est. Sic in re Doctores communiter, arg. cap. Si feneraveris 1. cap. Putant 2. cap. Plerique 3. & cap. Usura 4. caus. 14. q. 3.

3 Usura dividitur primo in mentalem, & realem. Usuris mentalis est, qua lucrum ex mutuo intenditur tamquam debitum, licet de eo nullum interveniat pactum, arg. cap. Consultuit 10. de Usuris. Vide infra num. 86. Usura realis est, cum quis mutuat cum pacto expresso, vel tacito accipiendi ultra sortem lucrum ex mutuo. Sic in re Communis Doctorum.

4 Secundo dividitur usura in expressam, seu manifestam, & tacitam, seu palliatam. Usura expressa, seu manifesta, & formalis est, quando expresse, seu manifeste, & formaliter exigitur pretium pro mutuo, & cum quis mutuat centum eo expresso pacto, ut sibi reddantur centum, & quinque, & hujusmodi. Usura tacita, seu palliata, & virtualis est, quæ non committitur vi contractus mutui formalis, & expressi, sed alterius contractus nomine, ac specie veluti pallio contecti, & occultati, ut dum præcise ob anticipatam, aut dilatam solutionem aliquid de jure pretio detrahitur, aut supra justum pretium exigitur, arg. cap. in Civitate tua 6. de Usuris.

5 Tertio dividitur usura in lucratoriam, compensatoriam, & punitivam. Usura lucratoria (de qua tamquam propria usura ex professo agunt Theologi, & erit hic sermo) est quæ continet aliquod lucrum temporale, causa, & nomine solius mutui principaliter exactum. Usura compensatoria, seu restauratoria est, quæ ex pacto exigitur aliquid supra sortem ratione justis interesse, seu damni emergentis, vel lucri cessantis, quod patitur mutuant, aut ratione periculi, & incommodi, quod pro-

habiliter passurus est in mutuo recuperando. Et hæc usura, ut infra videbitur, est licita. Usura punitoria, seu moratoria est, quæ ex pacto imponitur, v. gr. pecuniaria ultra sortem præstanta, ac mutuatarius in reddendo mutuum tempore convento fuerit culpabiliter morosus; & hæc etiam, ut infra videbitur, est licita.

Usura proprie dicta, seu lucratoria est prohibita, non solum jure positivo, divino, & ecclesiastico, sed etiam jure naturali. Est Communis inter Catholicos. Et quidem de jure Divino constat ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, & signanter ex Levit. 23. ibi: Non accipies à Fratre tuo usuram, nec amplius, quàm dediti... pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges. Deuteron. 23. ibi: Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam. Psalm. 14. ubi introducendus in Tabernaculum Domini dicitur, qui pecuniam suam non dedit ad Usuram, siquæ è contrario excludendus qui dederit ad usuram. Psalm. 54. ubi inter iniquitates, quæ enumerantur, dicitur: Et non defecit de plebs ejus usura, & dolus. Ezechiel. 18. ubi vita æterna præmiandus dicitur qui ad usuram non commoverit, & amplius non accepit, & è contra dicitur esse morte æterna puniendus ad usuram dantem, & amplius accipientem. Et Luca 6. ipsemet Christus Dominus ait: Mutuum date nihil inde sperantes, scilicet ultra sortem, quæ verba Papa Urbanus III. in cap. Consultuit 10. de Usuris adfert ad probandum, Usuram jure Divino esse prohibitam. Unde in cap. Super eo 4. de Usuris expresse dicitur, quod Usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, & concordat cap. Quia in omnibus 3. cod. ibi: Et qualiter utriusque Testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendunt. Et quod usura prohibita sit etiam jure canonico, habetur expresse ex cap. Quoniam 2. distict. cap. 47. cap. Si feneraveris 1. cap. Putant 2. cap. Plerique 3. & cap. Usura 4. caus. 14. quart. 3. cap. Ministri 2. cap. Si quis 4. cap. Nullus 6. cap. De hoc 7. & cap. Si quis Usuram 10. caus. 14. quart. 4. & ex toto titulo de Usuris, tam quinti, quàm sexti Decretalium, & ex Clementin. unic. de Usuris, §. Sane, ibi: Sane si quis in illum errorem incidit, ut pertinaciter affirmare presumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum vel Hæreticum puniendum.

¶ Et quod usura prohibita sit etiam jure canonico, habetur expresse ex cap. Quoniam 2. distict. cap. 47. cap. Si feneraveris 1. cap. Putant 2. cap. Plerique 3. & cap. Usura 4. caus. 14. quart. 3. cap. Ministri 2. cap. Si quis 4. cap. Nullus 6. cap. De hoc 7. & cap. Si quis Usuram 10. caus. 14. quart. 4. & ex toto titulo de Usuris, tam quinti, quàm sexti Decretalium, & ex Clementin. unic. de Usuris, §. Sane, ibi: Sane si quis in illum errorem incidit, ut pertinaciter affirmare presumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum vel Hæreticum puniendum.

¶ Quod autem usura prohibita sit etiam Jure naturali ostenditur ratione. Contra legem naturalem, seu Jus naturæ, est fructus percipere ex re non sua, sed aliena, cum fructus rei ex natura sua pertineant ad dominum ejusdem rei: atqui si ex mutuo usura perciperetur, perciperetur fructus ex re aliena, ergo usura est contra Jus naturæ, seu de Jure naturali prohibita. Major est nota ipso naturæ lumine. Minor probatur, quia per mutuum dominium rei mutuatæ transfertur in mutuatarium: Mutuum enim ideo appellatur, quia de meo fit tuum. textu expresso in l. Mutuum 2. §. 2. ff. de rebus creditis, si certum petatur, ibi: Appellata est autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit. Et Institut. quibus modis re contrahatur obligatio in princip. ibi: Inde etiam dictum est mutuum, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat, ergo si percipiantur fructus seu lucrum à Mutuante ex re mutuatæ, percipiuntur ex re aliena, adeoque, &c. (Vide verb. Dominium, & Mutuum.)

Nec contra id, quod hæcenus dictum est, usuram scilicet esse illicitam, & prohibitam Jure divino, ac naturali, obijci valet illud Deuteronomii cap. 23. Non fenerabis fratri tuo ad usuram, &c. sed alieno. Nec illud Luca cap. 19. Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exigerem illam? Non valet, inquam, quia ad illud Deuteronomii respondetur cum variis Sacris Patribus, & Doctoribus, ibi solum permissas fuisse, id est, non specialiter punitas fuisse usuras erga alienos tamquam malum ad majus malum vitandum, ne scilicet Judæi à se invicem usuras acciperent propter avaritiam, cui nimis dediti erant. Sic inter alios respondet S. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1. ad 2. ibi: Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permis-